

Ludovico Antonio Muratori

IN GORELLI

POËMA

Edizione di riferimento:

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES, RACCOLTA DEGLI STORICI ITALIANI *dal cinquecento al millecinquecento*, ORDINATA DA L. A. MURATORI, *NUOVA EDIZIONE RIVEDUTA AMPLIATA E CORRETTA* CON LA DIREZIONE DI GIOSUE CARDUCCI E VITTORIO FIORINI TOMO XV - PARTE I CRONICA DEI FATTI D'AREZZO DI SER BARTOLOMEO DI SER GORELLO), BOLOGNA - NICOLA ZANICHELLI, A CURA DI ARTURO BINI E GIOVANNI GRAZZINI, Edito dal Muratori col titolo: GORELLI ARETINI NOTARII poëma italice scriptum de rebus gestis in civitate aretina ab anno MCCCX usque ad annum MCCCCLXX IV

© settembre 2003 - Biblioteca dei Classici Italiani
by Giuseppe Bonghi - www.classicitaliani.it

DE REBUS GESTIS IN CIVITATE ARETINA

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII

CIVITAS Aretina, cum antiquitate originis, tum praeclaris ingeniis in Etruria celebris, summeque spectabilis, digna plane erat, quae vetustum ac locupletem quempiam suarum rerum Scriptorem nobis dedisset, ut illi quoque illustris locus in Collectione nostra foret. Verum frustrata est heic spes mea omnis atque inquisitio. Aut nullos illa tulit, aut si quos tulit, pro more suae edacitatis eos tempus absumsit. Quando ergo majora ac meliora non possum, producere saltem juvat *Gorelli* Poëma rhythmicum, sive partem Aretinae Historiae Italicis versibus jamdiu expressam. Erat huius Poëmatis exemplar Eruditissimo Viro, ac Senensis Urbis Patricio, Huberto Benvogliento, illi nimirum, cui debeo ac aeternum debebo rerum suae Patriae Scriptores in hac ipsa Collectione primum aut editos aut infra edendos. Et is quidem studiosissimus publicae utilitatis, meique consilii amantissimus, hunc etiam Librum mihi liberalissime, vixque exoratus, concessit.

Poëmatis Auctor, inquam, *Gorellus* fuit, Aretinus Civis, synchronus, & fere omnium, quae scripsit, oculatus testis. *Gorelli* nomen nihil aliud est, quam *Gregorius*. Ante annos quadringentos *Ghirigoro* dicebatur Tuscis, qui Gregorius fuit Latinis. Ab hoc vocabulo dimidiato effluxit *Goro*, & ex isto diminutivum *Gorello*. Clariss. Vir Apostolus Zenus Augustissimi Imperatoris Caroli VI. Historiographus atque Poëta, mihi per literas significavit, se quoque sibi procurasse idem Poëma manu exaratum, ejus vero Auctorem appellar! *Ser Gorello di Ranieri di Jacopo Sinigardi d'Arezzo*. Ex his habes Gorelli patrem Raynerium, avum Iacobum, familiam vero Sinigardam. Non deerunt, qui pro *Sinigarda* legendum suspicentur *Sighinarda*; hanc enim gentem Cap. I. inter ceteras, quae in Aretina Civitate, ac in regione Portae Cruciferae praestabant, Auctor ipse commemorat. Verum adhuc Aretii florere *Sinigardam* Familiam, monet in Notis Benvoglientus; & in altero Poëmatis exemplari non *Sighinardi* occurrit, sed quidem

Cioncioli, Sinigardi, e Caponsacchi

Idem tamen Benvoglientus ibidem veretur, ne pro *Sighinarda* gente investa fuerit in versum *Sinigarda*. Fortasse qui olim *Sighinardi* appellabantur, procedente tempore facili literarum inversione, uti apud vulgus accidit, *Sinigardi* sunt appellati. Ego rem in medium relinquo. Sat vero titulus prodit, Notarii munere functum fuisse Gorellum; quippe is appellatur *Ser Gorello*, jamque constat, potissimum Notarios titulo *Sere* fuisse distinctos. Hoc autem munus ii olim exercere solebat, qui ex Nobilium coetu essent. Inducit ille Cap. VII. Aretium ad se ita loquentem:

*A quelle amare e sue triste mosse,
Che fo di Luglio nel sessantacinque,
La fede tua convenne che vi fosse.*

Innuere haec videntur decretum aliquod in publicas tabulas ab ipso Gorello relatam. Quod extra dubitationem est, ex his intelligere possumus, Gorellum publicis negotiis interfuisse Anno 1365. Quum vero Civitas Aretina ab Alberico de Barbiano Comite Cunii, atque ab ejus copiis capta & miserrima populatione Anno 1381. Afflicta fuerit, auctor est Gorellus non uno in loco Cap. XII se quoque in tanta calamitate immixtum fuisse, fibique fuga salutem quaesiisse. Accipe, quae inter cetera Aretina Civitas colloquendo cum ipso habeat:

*Io so ben, come e dove tu fuggisti,
E so ancora chi te già cercando,
E ancora so le parole, ch'udisti.*

Nunc quodnam sit Poëmatis huius argumentum, paucis edisseram. Quinquaginta annos natus erat Gorellus, quum cum cupido incessit tradendi scriptis quaecumque mala Seculo XIV Patriam suam gravissime divexarant, quorum postremum fuerat Libertatis jactura, & Florentinorum jugo colla dedisse. Itaque sub specie senis Aretium, hoc est Civitatem ipsam, Poëtica fictione secum colloquens inducit. Ab origine Urbis facta exordio, res ibi gestas senex persequitur, & quot aerumnas ab Anno praesertim 1310, usque ad Annum 1384. Patriae intulerit Civium nonnullorum impotentia, ac internecina discordia factionum, fuse explicat. In ore omnium tunc erat Dantis Aligherii Poëma, Historicis monumentis refertum, & ea metri specie digestum, quae *Terza Rima* appellatur. Hunc ergo celebrem Poëtam sibi prae oculis Gorellus statuens, suum Poëma texit; sed, bone Deus, quam infra ab Aligherio, quam inconcinne, uno verbo, quam infelici eventu. Vitiosam passim obscuritatem offendis tum in rebus, tum in verbis, & versus claudicantes, & perquam rarum colorem Poëticum. Propterea

saepe subsistat Lector oportet, & lecta iterum legat, ut aliquem inde sensum exculpere possit, Lingua ipsa, in qua Etruscum Scriptorem exceluisse fortasse putes, interdum elegancia, interdum puritate destituitur, sive quod Aretinam Dialectum ubique Auctor adhibuerit, sive quod metri ac rhythmorum compedes scribentem angerent. Haec aliaque Poëtae nostro objicias; sed simul mecum fateare, ad res Aretinas Seculi XIV, noscendas Gorelli laborem conducere plurimum posse, immo unicum paene esse, a quo intima illius Urbis ac temporis negotia sint petenda. Quod si tenebris non caret, ne ab iis quidem immune est Aligherii Poëma, cujus tenebras nisi complures suis Commentariis ac Notas depulissent, fortasse nos sero nati, in eo quoque multa desideraremus. Versibus autem Gorelli, nonnumquam ex Amanuensium incuria luxatis, praesidio alicui erunt appositae Notae, sive Lectiones variantes, quas ex geminis V. Cl. Francisci Redii Codicibus collegit supralaudatus Benvoglientus. Erant insuper ibi Notae quaedam Historicae ad explicationem textus perutiles, ideoque ad calcem cujusque paginae, juxta morem, & ipsas dabo.

Sigismundus Titius, qui plurimos Historiarum Senensium Libros scriptos reliquit, uti me Benvoglientus monuit, Tomo I, ubi de Literatis Aretinis sermonem instituit, haec habet: *Quos inter Gorellus fuit, qui Aretii cladem concinnis gravibusque rythmis deploravit, ex quibus plura desumsimus.* Tum Tomo III, nonnullos ejus versus adfert ad Annum 1384 excerptos e Cap. XX, ubi Senensium fit mentio. Propterea supra laudatus Zenus ad me scripsit, Codicem suum Gorelli textum, similem prorsus heic edendo exaratum fuisse Anno 1618, manu Jacobi Burali Civis Aretini, scilicet illius, qui Vitas Aretinorum Antistitum evulgavit; ibique uberes Notas ipsius Burali studio additas haberi, quarum etiam specimen ad me misit. Ego pauculas delibabo ex Cap. II.

*Io ti dirò il principio di mio stato,
Di mia Nazion' antica, e de i miei nati,
E qual di loro a tempo m'ha honorato.*

Haec ibi a Buralo adnotata leguntur: *No il principio, ma il rinascimento d'Arezzo dopo la cacciata di Desiderio Re de' Longobardi, fu debole; e quivi abitavano tutti artieri, e chi Arte non faceva, non era ammesso alli Uffizi, perchè il Popolo non li voleva. E queste sono quelle Famiglie nominate dallo Scrittore, e durarono d'esser sole al governo della Città, fino alla venuta di Federigo I. Imperadore, di Ottone II; e di Federico II, Re di Sicilia, quali nobilitando con privilegi le Città di Toscana, furono causa, che li Nobili, quali tenevano tutte le Castella del Contado, venissero ad abitare Arezzo, e fu la rovina.* Postrema probo, non autem priora; neque enim quisquam facile ostendat, ante Fridericum I, penes solos Artifices fuisse regimen Civitatum Italicarum

*Ma perché molti si fan della torma,
Dodici fur le Case a far tal banda
Parmi, che a numerarle tu ti dorma.*

Ad primum versum haec adnotat Buralus: *Qui si nota, che si son fatti nella Città molti innesti di Famiglie antiche, quali di presente passano per nobilissime. Ad secundum: Il medesimo Scrittore, come Aretino invidioso, non le vuole nominare. Come ho detto, questi erano Artieri, e i Nobili erano ne i monti. De Marcellino Episcopo, qui floruit circiter Annum 1230, ita scribit Gorellus*

*Di tale impresa molto mal gli colse:
Fu strascinato fino a Castiglione,
E poi la vita un tanto error gli tolse.*

Buralus ad haec iratus respondet: *tu menti per la gola, perchè fu impiccato a Palmerino in quel d'Ancona per ordine di Federico II, Imperadore.*

*In Sant'Andrea fa che tu t'attacchi
Averardeschi, Manoelli, e Taschoni.*

Molte Famiglie (scribit Buralus) hanno avuto in que' tempi origine da più Ville, come i Marsopini, Ricoveri, e Bocci, Balducci, Lappoli, & altre, che tutte vennero dal quartieri di Quarata, o da luoghi circonvicini. Può ancora essere, che ci sieno di quelle, che alcuno tiene per più nobili di quelle di Quarata, & in quei tempi fussero in corpo a sua madre.

Dove fur gli 'Udumer già molto dotti, &c.

Buralum audi : *Gli Udumeri abitavano in Valle-larga. Gli Albergotti nella loro contrada. Della Famiglia degli Udumeri fu Messer Bonaguida e Messer Bonagrazia, uomini dottissimi. Però qui lassa addietro molte Famiglie, che forse gli erano nemiche.*

Rozzelli, Accettanti, Cenci, & Azzi.

Si Buralo fides, *dalli Accettanti vengono quelli del Bene di Firenze. Atque haec pauca ex Burali Adnotationibus excerpta sufficient. Interea accipiant Lectores a rudibus Seculis quod possunt, aliaque Aretinae Urbis antiquiora monumenta a me exspectent, si alterum laborem, qui me nunc occupat, aliquando complere ac evulgare mihi licebit.*